Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Menippus sive dialogorvm satyricorvm centuria inanitatvm nostrativm specvlvm

Andreä, Johann Valentin

Cosmopoli [i.e. Straßburg], 1618

41. Convivivm

urn:nbn:de:bsz:31-107424

Visual Library

in ſinum noſtrum, ſi circumſtemus, effundant? nam & nere illis, & fila trahere ac texere, denique caligas conſuere liceat, dum itentidem doceant. B. Sane ut multos cognovi, nunquam maiore ſua felicitate, & profectu noſtro docent, quam cum vultum ſumunt, quo domi depoſito, neſcio quam videntur mihi omnes vires exuiſſe. Itaque, meo judicio, ſi omnino converſari cupis, eruditionis quidem non quam alibi amplius, nec probatioris vitæ perfectiores regulas, & exempla accipies, ſed faciem diſces ad quemvis diem, vel fortunæ occurſum componere, & demittere.

41. CONVIVIUM.

A. ECquid de heſterno convivio noſtro inaudiviſti? B. Philoſophico illo, quod tandem in cyclopicum deſiit? A. Bona verba: nam ſi quid peccatum eſt, vino inſcribemus, vino diluamus. B. Equidem vino gratias agendas puto, quod Philoſophico palliolo, & hypocritica ſimulatione exutos, tales nobis exhibuit, quales revera ſunt. A. Nunquam ego de iis quicquam ſiniſtri ſuſpicabor, qui hominum ſunt modeſtiſſimi. B. Sint ſane, at tu quæſo convivii ordinem recita. A. Libenter. Primo ubi eſt conventum, & amiciſſimæ ſalutationes ac prolixiſſimi tituli præteriiſſent, mirum quam alter alteri decentem honorem detulerit, quamque difficulter ſint ſedibus ſuis admoti; dein profundo

ſilentio dapes primæ abſumebantur, minutis potiunculis dilutæ. Poſtea cum incaluiſſent aliquantulum diſputatiunculis, & argutis dicteriis ludebatur magna equidem voluptate noſtra, qui ſales & jocularem etiam eruditionem notabamus. At neſcio quo invido fato de conſtructione quadam ſuborto diſſidio, ad jurgia paulatim contentione pergente, id admiſſum eſt, quod audiviſti. B. Nihil verò veſtra compoſitione leniri potuerunt? A. Nihil ſane: nam cum hæreticis, beanis, cornutis primò omnia, dein falſariis, plagiariis, ſophiſtis, denique nebulonibus, veneficis, mœchis omnia perſtreperent, & manibus jam potius ac armis, quàm lingua opus videretur, omnino dirimendi, & intempeſtivè domum remittendi erant. B. Ructantes interim, ſingultientes, titubantes? A. Imo minarum & maledictionum pleni. B. Tu vero quid interim muſſitabas. A. Vinum blaſphemabam, quod diu exoptatam ſapientum coronam mihi conturbaſſet. B. Aqua danda erat, non vinum Philoſophis. A. Vidiſſes optimum quodque expetere. B. Negare tuum erat, & ad Caſtalidum fontem remittere. A. Credideram vino excitandos. B. Scilicet nimium fronti Philoſophicæ credidiſti, neſcis tu quam diffuſa ſit, ſi rugas explicet? A. Imò jam ſcio, ſed vino malè ſit. B. Caue injuriam inſonti facias; quis enim facilius tibi perſuaſiſſet, tam operoſa & vaſta Philoſophicæ ſcientiæ modeſtiæque volumina poſſe cyatho vno vel altero ita elui, vt poſſeſſores ſuos non aliter quàm ex plebe

be quemq; mente vacuos relinquant. A. Non credam, niſi adhuc ſemel experiar. B. Id opto quam frequẽtiſſime experiamini, quotquot barbis, baculis & peris creditis.

42. *VETERVM DOTES.*

A. SI ſic pergat progredi eruditio, ubi tandem terminabitur? B. Ignorantiâ. A. Abſurde, quis credat poſſe nobis iterum literas interire, quæ in plebem etiam diffunduntur, & vernaculæ quaſi fiunt. B. Mihi vero jamjam, ac incitatiore gradu interire videntur. A. Vides in omni re, quam noſſe hominibus datum eſt, exactiores quotidie indagationes prodire, & quæ arcana olim eruditiſſimorum fuere, promiſcua fieri, & potes hæc dicere? B. Equidem cum majorum noſtrorum eruditionem intueor, plane obſtupeſco; cum noſtram, rideo, ac pudet. Ita illi plura occultarunt, quam monſtrarunt, nos plura explicamus & diſtendimus, quam poſſidemus. A. At palam linguarum, artium, ſcientiarumque noſtri temporis peritia te convincit, quod noſtrum ampliſſimum patrimonium eſt. B. Confer aliquem mihi cum D. Lutheri lectione, quæ antiquitatem omnem abſorpſit; ſcriptione, quæ vaſta nobis volumina reliquit; actione, quæ totius Europæ commotionibus adfuit; eruditione, quæ cum omnibus ſuæ ætatis ingeniis depugnavit: & hæc quatuor in-